

QUÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS,
manè discutienda in Scholis Medicorum,
die Jovis secundâ Decembris.

M. FRANCISCO PICOTE' DE BELESTRE,
Doctore Medico, Scolarum Professore, Præside.

An Medicina, non tam librorum lectione, neque tam usu ipso, quam verâ traditione addiscitur?

I.



EDICUS non est omnis qui sanare videtur; sed qui apposite curat ad sanandum. Is ducem semper sequitur naturam quæ licet ἀπαίδευτος καὶ οὐ μαθοῦσα, εὐπαιδεύτως semper operatur, nisi impedita aut prostrata, qua refragante irrita omnis curatio. Ideo totum ipsi bene agenti sanitatis conservandæ aut reparandæ negotium relinquit, languenti vel oppressæ ἐν καιρῷ δέοντι καὶ ὡς προσεύει opitulatur, effœtæ demum manum non admovet. Nullum horum decernere potest quin naturam cognoscat operantem, tam sanam, quam ægram. Utriusque primum principium seu materia informis decurrit cum sanguine materno; secernitur figurâ testium; dispositiones

remotas ad receptionem formæ ſeu ſtructuram ovi acquirit eorumdem texturâ & proprio ſuarum particularum motu; proximas ſeu ovi fœcunditatem ſeminis virilis irradiatione; formam ſingularum partium ab inteſtino particularum ipſiuſmet ovi fœcundati motu. Atque hæc eſt rudis & inchoata ſingularum partium natura; quæ perficitur & incrementum accipit in utero; atque ex propriis ſingularum partium exurgit totius corporis natura: quæ ſic conſtituta quam plurimas ſubit mutationes, tam in utero quam extra uterum, à variis cauſis ſive extrinſecis ſive intrinſecis. Hinc nec in omnibus hominibus, nec in eodem ſemper homine, eadem eſt, ideo nec eodem ſemper modo ſua exercet opera. Ea tamen ſedulo & diligenter contemplari debet Medicus, ut ex iis eruat agendorum indicationes, quæ in legitimo & unicuique, non eodem quovis tempore debito, rerum non naturalium, & Præſidiorum ex diætâ, Pharmaciâ & Chirurgiâ depromptorum uſu conſiſtunt. Hæc omnia aſſiduâ licet librorum lectione, omnique conatu & molimine, ſed αὐτοδίδακτος luſtrare, mente concipere & memoriâ continere qui voluerit, vitam ſuam ad extremum ſenium & quidem longiſſime productam anguſtioribus nimium temporis ſpatiis circunſcriptam comperiet. Imo ſi, quacunque operâ hæc abunde ſatis edoctus, propria primum induſtriâ in uſum revocare aggrediatur, ſæpiſſime deprehendet, quam obſcura ſit morborum & cauſarum cognitio, quam ardua prognoſis, quam difficile captandæ occaſionis judicium, quam fallax eorum quæ proſunt vel nocent experientia. Has omnes difficultates ut ſuperet, qui veri Medici titulum & munus ambit, compendiariam ſimul & amplam apertam tritam & locupletatam veterum ac præſertim Hippocratis & Galeni monimentis Medicinæ addiſcendæ ſemitam ineat: quâ vitæ brevitatem cum artis longitudine conciliabit; quæ implicita ſunt & obſcura, minori negotio evoluet & explicabit; facilem atque ſecurum ſibi comparabit medendi uſum; veraque & tuta experimenta diſcernet à nocivis tentamentis & periculis; quæ ambo arceat; illa, propter uſurpantis improbos mores ſimul & inſcitiam, punienda; hæc vero, quia dogmaticis Medicis illicita ſoliſque imperitis & periclitantibus relinquenda.

II.

MEDICI officium eſt ſanitatem conſervare ſimilibus, morbos depellere contrariis. Sanitatis ratio verſatur in

humano corpore : ſubjectum enim ſanitatis, eſt corpus humanum ; forma, conſiſtentia corporis ; finis, actio ejuſdem integra ; cauſa efficiens, natura corporis ; quæ utitur Calido nativo velut inſtrumento, coque duplici, inſito quod in intimâ partium quas conſtituit ſubſtantia hæret, & influente quod ἀεικίνητον per vaſa fertur in omnes corporis partes, eaſque velut aura ſuavis ſalubriter perflat, illuſtrat, vivificat & inſitum (alioquin iners & ignavum) excitando & in actum promovendo, ſingularum partium munia complet. Natura ſana percipitur actionum integritate : quæ pendet à convenienti partium texturâ, figurâ, magnitudine, numero, ſitu, & unione ; necnon ſubſtantiarum, quibus conſtant fluidæ partes commoderatione τῆς κρήσεως, καὶ δυνάμιος, καὶ τοῦ πλήθεος, maximeque mixtione. Contra ægrotare deprehenditur ex earumdem actionum læſione, ortâ à partium ſolidarum vitio, vel molis ſanguineæ redundantiâ, aut inopiâ, vel vinculi, quo ejus partes ad ſe invicem conjungebantur, diſſolutione ; adeout harum aliquæ intus fecerint, ~~ἐς τὴν μετάςασιν~~ ſeu vacuitatem in aliis à quibus disjunguntur, καὶ τὴν ~~ἀπόκεισιν~~ ſeu redundantiam in loco in quem ſecedunt, καὶ τὴν ἀπόκεισιν ſeu ſecretionem quâ ſine aliarum conſenſione proprias ſuas vires exerunt. Ægritudines omnes, quæ curationem admittunt, ipſamet natura ſanat : plures per ſe ſola ſine ullo rerum alienarum interventu ; pleroſque adjuta ab arte Medicâ ejus miniſtrâ, quæ, præceptis & legibus quamplurimis addicta, auxiliis eget. Auxiliorum inventio indicatio dicitur, ut pote quæ fiat indicio affectus & loci affecti, quorum cognitionem ſequitur : unde & ἔμφασις ἀκολουθίας appellatur, & quia in lucem profert præcepta quibus velut firmis fundamentis niti debet omnis Curatio affectus ejuſdem ſpeciei in ſingulis individuis. Auxilia quidquid cœli ambitu continetur & artes fere omnes includunt. Medicus non deliget præſidium, cujus vires & proprietates ignoret. Hinc tam ratione ſcientiæ quam ratione operis late patet Medicinæ ambitus : quam inchoare & perficere non eſt unius ætatis. Ludit itaque operam qui, ut nova quærat & amplectatur, priſcis temporibus inventa, collecta, illuſtrata ſpernit, aut negligit. Inventi remedii longe operoſior uſus : ad quem aſſequendum duobus velut pedibus incedit Medicus, judicio & experientiâ. Illud difficile propter mutabilitatem & inconſtantiam corporis humani pluribus accidentibus obnoxij, in

Hippocra. lib. περὶ φυσίως ἀνθρώπου.

τὴν κένωσιν

μετάςασιν

quo intellectus ſuæ actionis ſolidum fundamentum non habet: unde occaſionis, dominæ rerum eligendarum, fugacitas; quæ niſi prima fronte arripiatur, ſemel elapſa vix recuperari poteſt. Experientia demum ut periculoſa propter ſubjecti nobilitatem, ita & fallax propter peculiarem cujuſque hominis naturam & dubiam exitus morborum cauſam. Incongruâ ſiquidem remediorum adminiſtratione ſæpe geminatur in morborum medelâ naturæ labor, cui ſuccumbit etiam vegeta & in levioribus affectibus: nonnumquam, ubi exoluta creditur, ſuis quæ latebant viribus morbi vehementiam infringit ac ſuperat & illatam à medicamentis noxam eludit. Hinc eorum error qui ex ſolis eventibus propriam ſibi experientiam jactitant novaſque medendi leges venantur. Contra ſapiunt qui plurimorum ſæculorum uſu comprobatis documentis & perceptis potius, quam novis utuntur remediis, quorum majores noſtri tulerunt pericula.

III.

IDEM hominis & Medicinæ principium, non idem artis Medicæ. Primam hujus originem ante tempora Hippocratis fruſtra quærit qui ejus ſacris initiari vult. Nec minus vana eſt quæſtio de majori aut minori neceſſitate, utilitate, & dignitate unius ſupra alias hujus diſciplinæ partes; quarum nulla ſine cœterarum conſortio ſtare nequit in architectonice, quæque omnes idem objectum ac eundem finem habent. Unam ab aliis ſejungere ratione diverſitatis mediorum, quibus ars utitur, ſolis expedit ejus miniſtris, qui horum quæ tractanda ſuſceperint præſtantiâ & utilitate illecti, ipſis excolendis & concinnè magis ac expeditè manu exercendis ſtudioſius ſe devoveant. Legitima enim inſtitui poteſt diſputatio de prærogativâ cujuſcunque ex iis tribus aſclepiades miniſtris. Princeps Medicorum agnoſcitur Hippocrates, quod primus omnes macrocoſmi iatrici regiones pernavigaverit & peragraverit cum ſuis diſcipulis, quibus totius itineris laconice perſcriptam hiſtoriam reliquit; in quâ non pauca deſunt, & adulterina plurima interjecta ſunt. Veritus ne rerum quas continet multitudine obrueretur eorum memoria, illam in ſelectas ſententias velut ἐνεργείας δόξας καὶ παραδείγματα contraxit ſex & ſeptem ad ſummum aphoriſmorum libris. Huic conciſæ ſcribendi rationi quaſi connata obſcuritas & ambiguitas tot peperit interpretes, ut vix dinumerari queant; quorum diſcordia eſt de mente ſummi dictatoris. Inde

variæ diverſis ſæculis, & quidem hacce noſtrâ ætate, hæreſes, quas aut alias non evitaveris ſine optimo duce & rectore. Galenum ſi Conſulas fideliſſimum & locupletiſſimum omnium divini ſenis interpretum, minus peccabis; ſed cave, ne Aſiana ejus prolixitas moleſtam ſatietatem tibi creet, nec in omnibus jures in ejus verba. Quæ diffusè ſcripſit, quatuor libris ſeu compendiis complecti ſibi viſus eſt; at in his plurima deſiderantur. Cæterorum qui poſt Galenum medium docendi modum tenuerunt ne unum reperias qui Medicinæ corpus omnibus partibus abſolutum tradiderit, & cui omnino fidere tutum ſit. In iis anguſtiis expedita & parata res eſt, habere aliquos qui multorum annorum vigilias in unius horulæ diſſertationem cogant; tot res tam varias, tam diſſipatas, tam undique accerſitas, ſub unum aſpectum conjiciant; obſcuris veterum perinde ac recentium authorum locis ſic tanquam itineribus peragratis, quo volueris poſtea, quam minimo circuitu perducant, atque imprimis acceptam à majoribus ſerie temporum Medicinæ ſcientiam tibi conferant. Nec diſpari via incedas ad eam partem quæ in actione conſiſtit poſitam in morborum diagnoſi prognoſi & therapeia. Hac enim non ſatis informat quotidianus in medendo uſus, niſi accedat à veteribus ad nos velut per manus derivata Medicinam faciendi ratio & ore nudique verbi teſtimonio conſignata traditio.

IV.

VETEREM Medicinam, ut pote gentilitiam, à parentibus hæreditario jure tradi ſolitam liberis, nemo non fatetur. Hinc παιδομαθείη quâ ἰητρῶν παῖδες aut πεπαιδευμένοι ſeu periti dicti primæ claſſis Medici, ἐν τῷ ἰητρείῳ ſine ulla meditatione, per ſolam cadaverum, aut eorum quæ peragebantur circa ægros eò deportatos inſpectionem, anatomen, Chirurgiam & Pharmaciam ediſcebant: διδασκαλίη quâ δημιουργοὶ aut κλινικοί, ægrorum lectis affixi, in arte jam provecti inſtituebantur ab architectonicis Medicis ægros inviſentibus. Hæc naſcentis Medicinæ primordia & rudimenta oſtendunt, cui methodo inſiſtere debeant, non tantum qui in arte nunc vigente tyrocinium ponunt, ſed & qui aliquam ejus peritiam & induſtriam aſſecuti ſunt. Illis multùm erit à teneris annis optimorum profeſſorum documentis naturam ſcrutari; ejus & auxiliorum, quibus idonea ſervatur functionibus ſuis rite obeundis, notitiam habere; mor-

borum omnium & ſymptomatum eſſentiam, eorumque differentias omnes ſigillatim inveſtigare, & memoriæ mandare; ipſorum cauſas accurate rimari; quibus ſignis tam morbus ipſe, quam cauſæ & pars affecta, ſeſe prodant, & horum quæ ſit connexio, expendere; unde deſumendæ ſint præſidiorum indicationes, quid earum unaquæque præſtandum inſinuet, aut quid eis refragetur, & inter eas quæ potiores, quæ minus præcipuæ, examinare; ab his quam varia procedant curationum genera, quæ & quando earum unaquæque in uſum revocanda, quibus ipſa præſidiis inchoanda & perficienda, ſtudioſius obſervare; in remediorum omnium ex diætâ, Pharmaciâ & Chirurgiâ petitorum naturam, differentias, vires, & effectus, non cogitatione modo, ſed præſertim ſenſibus incumbere; quibus, quando & qua ratione iis utendum, & quâ quantitate eorum ſingula exhibenda vel celebranda, pro cujuſque naturâ, ætate & viribus, diſtinguere; medicamentorum ſimplicium & compoſitorum delectum, præparationes varias, componendorum præcepta, & præſcribendorum formulas, callere. Theoriæ iatricæ tyrocinio qui exeunt niſi duces ſequantur viros expertiſſimos qui ipſos erudiant eodem quem ab avis acceperunt illorum omnium uſu, & velut digito ſingulatim oſtendant in ægris, cum ſingulorum ſe dat opportunitas, cæcutient ſæpiſſime in diagnoſi & prognoſi. Aliud enim inexperto memoriâ tenere rerum cognoſcendarum ſigna, aliud eadem in ſingularibus deprehendere, multo magis in Medicis, in quibus rerum ſimilium diſſimilitudines, diſſimilium ſimilitudines, vel oculatiſſimis & perſpicaciſſimis erroris anſam præbent. Nec minus aberrabunt in Therapeia cujus ſumma cum poſita ſit in agendorum occaſione, hæc citiſſime præterlabens, iis quibus antrorſum inſtructa eſt capillis obtegit quas præ ſe fert indicationes, non niſi à ſagaciſſimis percipiendas; vel ſi forte à tergo animadvertantur, poſticâ calvitie apprehendi ſe non ſinit: adumbratam vero ejus effigiem qui cæperit, graviſſime peccat in res ægrotantis. Nulla quoque ducentur experientia, quæ diuturnum poſtulat uſum in curatione innumerorum diverſi generis morborum multoties iterata ſecundum artis leges. Harum nonnullæ cum ſua obſcuritate negotium faceſſant medentibus, imo eos in diverſas velut ſectas pertrahant, genuinus harum ſenſus haud aliter accipiendus quam ex probato per plura ſæcula uſu ſolâ traditione detegendo.

V.

AUREIS litteris ad perpetuam memoriam consignandum effatum Tullianâ eloquentiâ ornati, Medicorum melioris notæ doctrinâ illustrati, & intemerati purioris Medicinæ fontis ore sœpius emissum, hisque verbis conceptum Medicina est ars sanandi ratione & experientiâ constituta, quam docet à veteribus transmissa nudis verbis & operibus traditio, corroborat usus, regit eximia intelligendi ac judicandi vis. Quamobrem Sapientiæ est vulgaris dignoscere Medicos, non tantum à seplasiariis, circulatoribus, scenicis, qui unico remedio variisque pollicitationibus ludunt populi stoliditatem ne dicam amentiam, aut ab aliis ejusdem farinæ imberbibus adolescentibus, & cujusvis alteriùs ætatis imperitis hominibus, qui licet ne prima Medicinæ rudimenta didicerint unquam, ex prospero cujusdam exotici remedii, quod casu in eorum manus incidit successu insolescentes, singulis morbis, quorum nullum noverunt, accommodata sibi præsto esse præsidia haud minus insolenter quam falsâ ostentatione prædicant, eaque cum ingenti compendio, etsi in magnam ægrotantium perniciem, venundant: sed & mirari temeritatem, aut potius impietatem illiteratorum fratrum Cucullatorum, aliorumque ejusdem generis ardelionum, ab instituto religioso transfugarum, vel ejusdem exteriorem faciem servantium, qui postquam maximam suæ ætatis partem in strictioris vitæ obsequiis & officiis, ideoque sine artis Medicæ studio contriverunt, eligentes temporalis peccati habere jucunditatem quam Christi improperium, impudenter irrumpunt ementitæ charitatis imagine vel potiùs larvâ, & sese temere immiscent curandis quibuscunque ægris cujusvis sexus & ætatis. Nec minus evidenter arguitur impudentia Pharmacopæorum & Barbitonsorum, qui eadem quæ acceperunt à Medicis aut usurpari observaverunt præsidia, velut abstrusa & sibi tantum cognita mysteria prædicant, spretisque artis legibus, quas ignorant, credulorum curationem procaciter suscipiunt, ac suis præstigiis & captionibus eorum crumenas emungunt. At vel sapientioribus fucum faciunt Personati & Gregarii Medici inani Doctoris titulo, amplissimis Diplomatis accuratius delineatis, sigillo grandiore munitis, loris sericeis versicoloribus in laqueos consignatis, & quidem amicorum favore extortis, vel vi argentea aut alienæ doctrinæ periclitatione vel rudi eruditione emptis atque

M. Tussanus Fontaine Med. Paris.

adeptis : Hos tamen facile internoſcet quicunque obſervaverit ipſos minime inſtrui potuiſſe traditione , quæ ſine peritorum Medicorum colloquiis & apud ægros congreſſibus comparari nequit. Præcipuum vero boni publici momentum in eo vertitur ut omnis aſclepiadarum familia ; cui incumbit ſaluti publicæ invigilare , ὁμόψηφος ad ſervandas antiquas medendi leges (ut pote quas peperit experimentorum longo uſu verâ cum ratione comprobatorum memoria & quas non mutant quæ nova perhibentur ſyſtemata Medica , nec ἀμέθοδα & ἄλογα dicta remedia) dociles nanciſcatur diſcipulos , quos imbuat veterum placitis explanandis ad trutinam traditionis ; cujus fiduciarii ſunt ii qui in artis operibus conſenuerunt ; quorum eſt uſum per plura ſæcula confirmatum in rebus ſaltem dubiis & obſcuris alios edocere , ne propriis & quidem recens factis experimentis (quæ ideo vim legis habere non poſſunt & de quarum fallaciâ ſapiens quiſque diffidet) vel novis tecmarſeos regulis aut in alienos ſenſus detortis veterum axiomatis , in graviſſimos & generi humano infenſos errores inducantur. Conjectrix enim Medicina non dicitur propter præceptorum inconſtantiam, quæ ut communia ita firma eſſe debent, ſed ab actionibus medentium, quarum incertus eſt à diverſis cauſis exitus , & propter difficilem cognitionem propriæ cujuſque naturæ, quæ diuturnioris temporis verâ traditione in brevius contrahendi induſtriam & uſum poſtulat.

Ergo Medicina, non tam Librorum lectione, neque tam uſu ipſo, quam verâ Traditione addiſcitur.

Domini Doctores diſputaturi.

M. Ludovicus Piquenot de Dragueville.	*M. Claudius Bourdelin.*	*M. Nicolaus Rainſſant.*
M. Claudius Burlet.	*M. Joannes Franciſcus Foy-Vaillant.*	*M. Petrus Pourret, unici fratris Regis Med. Ordin.*
M. Alexander Petrus Mattot.	*M. Alexius Littre.*	*M. Antonius de Caën.*

Proponebat Pariſiis GILBERTUS PUYLON Pariſinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1694.

Apud Franciſcum Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographum.